


riter ostendit. Quo autem commodius & expedi-
tius imponas loca, facere oportet regulamentum,
quod æquale sit in lōgitudine lineæ g f & quod
figatur in puncto g, ab unoq; latere sic præcida-
tur, ut ex amussim applicari possit rectis meridio-
rum lineis. Deinde diuidatur hæc linea à g ad f
in 115. æquales partes, qui sunt gradus latitudi-
nis, numerandi & signandi ab f seu æquinoctiali
uersus polum g. Reliquam uero portionem, quæ
est ab f ad f diuide in 16. partes & unam ter-

tiam. Deinde oportet diuidere æquatorē in 180.
gradus, qui 12. constituunt horas, & numeri gra-
duum signandi sunt ab occasu uersus ortum, hoc
est, ab r uersus t. Cum itaq; locum aliquem impo-
nere uolueris, aduerte longitudinem & latitudi-
nem eius: longitudinem numera in æquatore & ad
finem eius applica regulamentum, deinde numera
latitudinem in regulamento, & ad exitum eius erit
situs loci propositi.



Pars secunda, huius ultimi capituli.

Porro similiorem etiam & magis
cōmensuratam descriptionem or-
bis, in tabula faciemus, si lineas meridi-
anas imaginatione concipiamus, ad si-
militudinem linearum meridianarum
in sphaera: ita ut aspectus seu oculorū
axis in sphaere positionem penetret, &
per sectionem, quæ ad aspectū est me-
ridiani, qui longitudinem terræ cogni-
tæ in duas diuidit partes, & paralleli
qui & ipse bifariam secat eius latitudi-
nem, nec non centrum sphaeræ, quo ex
æquo termini oppositi uisū cōprehen-
dantur & appareant. Primū igitur pro-
pter quantitatem inclinationis paral-
lelorum circulorū & per incisionem
signatam, & centrum sphaeræ erecti ad

medium longitudinis meridianum pla-
ni, circulus intelligatur maximus, qui
hemisphaerium terminet apparens, a b
c d: & semicirculus, qui hemisphaerū
meridianū bifariam disperdit sic, a e c:
at sectio, quæ ad aspectum huius est, &
paralleli, qui bifariam secat latitudinē
sit signum e: scribatur que per e circuli
maximi iterum semicirculus rectus ad
a e f c, qui sit b e d, cuius planum per
axim aspectuum seu uisus subijci con-
stat. Inde circumferentiæ e f partes su-
mātur uiginti tres & semis cum tertiā,
tot enim distat æquinoctialis ab eo qui
per Syenem est, qui maximus ferè con-
stituitur latitudine: scribaturq; per f se-
micirculus æquinoctialis b f d, & tunc
inclinatū apparebit æquinoctialis pla-
num,